

L = codex Laurentianus 32, 2, chartaceus saec. XIV.

G = codex Laurentianus 172 (olim abbat. Florentinae 2664), membranaceus saec. XIV, quem in lucem protraxi et descripsi in Fleckeiseni annalium vol. 105 (1872) p. 525—528. codex est codicis Palatini inter Vaticanos 287 (*P*) pars abscissa et ab eadem manu scripta et continet (fol. 1—83^v) Heraclidarum finem (inde a v. 1003), Herculem, Helenam, Electram, Hecubam, Orestem, Phoenissas. praeterea insunt (fol. 84^r—123^v) Sophoclis Ajax, Electra, Oedipus rex, Antigonae argumentum. in libro nondum in duas partes diviso, qui solus omnes superstites Euripidis fabulas continebat, antecesserunt Sophoclis septem fabulae Euripideas undeviginti, id quod etiam index fabularum in folio cod. *G* praefixo scriptus, qui nunc paene erasus est, demonstrat. sequebantur Aeschyli fabulae tres.

non statuere licet in Hecuba *G*, qui correctoris et interpolatoris grammatici manum expertus est, et *L* ex eodem codice descriptos esse, itaque nota *S*, qua communem fontem in Medea et Alcestide significavi, non usus sum. pretium librorum *LG* in Hecuba minus quam in duabus iam a me editis fabulis est, sed etiam in hac fabula haud raro soli veram servarunt lectionem.

quae de orthographicis in praefationibus Medeae et Alcestidis dixi, non repeto.

scr. Monasterii m. Sextili a. 1883.